





15

1669, 11

DEI  
Et  
SUPERIORUM INDULTU  
ACQVISIONEM  
DERIVATIVAM DOMINII  
FACTO HOMINIS,

*ad diem 10. Febr. A. 1669.*

P. P.

PRÆSES

P. 46

M. GOTHOFREDUS SCHILTERUS,  
SILESIUS, LL. CAND.

Et

RESPONDENS

PETRUS *Graff* / Cygn. Misnicus.

LL. Studiosus.

H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ,  
Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.




*P. Graff*

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

112





Cum DEO.



Disputationem meditantibus nobis aureum Celeberrimi Hugonis Grotii de Jure Belli & Pacis Opus argumentum quod imitaremur, suppeditavit, argumentum uti existimamus non omnino inelegans. Hujus plenae & accuratae tractationi etsi plurima deesse res ipsa diffiteri nos non sinat, quia tamen disputandum erat, hic potius quam alibi balbutire maluimus. Non enim dubitamus, L. B. nobis etiam hic magis quam alibi veniam esse concessurum, quod ipse Dux noster Hugo Grotius in iis quae late de Jure belli & Pacis libris pluribus commentatus est, concludente ita ex annotationibus Grotian. ad cap. V. Matth. B. Dn. Dorscheo in Epist. dedicat. Anticris. theolog. p. II. nihil definiat, sed in suspenso & ulteriori indagine relinquat omnia. Grotium autem non nisi Grotius superabit.

§. I.



Acquirere aliquid nostrum facere significat. Acquisitio autem derivativa à derivare deducitur & metaphoricè dicitur de translatione Dominiorum, quod quemadmodum Rivi aut flumina ab hoc in alium locum derivantur, ita Dominia vel Imperia ab hoc in alium Hominem quasi derivando transferuntur, ut eodem modo quo Cicero crimen, Grotius dominium suum derivare dixerit.

Quid sit Acquirere? Unde derivativa dicatur & cur?

Oration. pro T. Anton. Milon. XXXIX. p. m. 772. B.

§. II. Ulterius: Quemadmodum fluminum derivationes sive Dei decreto, sive naturae, sive quocunque demum prohibente saepius infeliciter tentatae sunt, (a) sic Dominia & Imperia ferè dixerim



xerim omnia, (b) sive pactis sive legibus circumscripta solent esse illis, quæ ut alia, ita liberam Eorum in Quemcunque alienationem anteverunt. (c)

(a) vid. Richteri axiomat. polit. 306. p. 677. seqq. Camerar. horar. subciv. Cent. I. cap. 81. p. 370. seqq. Georg. Schönborn. lib. 4. Polit. cap. 9. p. 309. Forstner. not. polit. ad Tacit. lib. I. Annal. p. 187. & lib. 13. p. 444. ibique citat.

(b) Vid. Reinkingk. de R. S. & E. lib. I. class. 3. cap. IX. n. 22. seqq. ubi n. 33. negat ulla Christiani orbis Regna monstrari hodie posse, quorum Reges sine solennibus juramentis ungantur.

(c) Nata indè est Grotio distinctio Imperiorum in alienabilia & non - alienabilia Lib. II. cap. VII. n. 25. Lib. I. cap. III. n. 13. Magnific. Dn. D. Ziegler. cit. ad Grot. loc. n. 12. p. 309. Illius generis exempla vide ap. Grot. d. lib. II. n. 12. cap. VII. celeberrim. Dn. Bœcler. ibid. ubi p. 276. duos evidentiores modos tradit, quibus omne constituendi Regis arbitrium in unius Regis voluntatem cessisse videtur. R. Z. in Jur. & Judic. Fecialis Explication. Part. 1. Sect. III. q. 1. p. 14. Hujus apud Justin. lib. 21. cap. 1. n. 2. Grot. d. l. n. 15. Dn. Ziegler. d. l. n. 12. p. 309. R. Z. d. l. quest. 2. p. 16. seq. Reinkingk. d. l. Class. IV. cap. XVII. n. 52. Adde Capitulat. Leopoldi Imperatoris nostri hodie gloriosissimi art. 12. Zu dem und insonderheit sollen und wollen wir dem H. Römischen Reich und desselben zugehörigen nicht allein ohne Wissen Willen und Zulassen gemelter Churfürsten sambtlich nichts hingeben / verschreiben / versetzen / noch in andere Wege vereussern oder beschweren ic. Rumelin. Dissert. IV. ad A. B. cap. V. Th. 20. p. 98. Dominii restricti Exempla dabunt res dotales immobiles, quas Maritus licet earum Dominus alienare prohibetur; & bona avita Stamngüter. vid. Struv. S. J. C. Ex. XXIII. Th. 61. seq. Dn. Richter. dec. 76. n. 9. Knipschild de Fideic. Famil. Nobil. cap. XI. n. 1. seq. p. 518.

Opponitur  
Acquisitioni  
originariæ.

§. III. Opponitur à Grotio Acquisitioni Derivativæ Acquisitioni originaria (a) per quam Dominia primitus acquiruntur (b) sicut per illam transeunt, (c) ad eum modum, quo Debitori illi, qui Alterius debitum solvendum in sese suscepit, opponit Debitorem originarium, (d) ut indè manifestum sit de Occupatione, (e) de Consensu, de Generatione (f) &c. quippè quæ Species creduntur Acquisitionis originariæ & imperium potius quam Dominium pro objecto habent, nobis in præsentiarum agere non esse propositum.

(a) Lib.

(a) Lib. II. cap. III. n. 1. Pufendorf. Element. Jurispr. universal.  
lib. I. Definit. V. §. 16, & 17. p. 43.

(b) Lib. II. cap. IX. n. 1.

(c) d. l. cap. III. n. 3. & 4.

(d) Lib. III. cap. XIII. n. 4.

(e) Lib. II. cap. II. & III.

(f) Lib. II. cap. V. vid. Disputat. Dn. M. Menckenii de Acquisit.  
origin. Jur. in Person.

§. IV. Porro illud non præterimus, de Acquisitione deriva-  
tiva Domini nobis negotium esse, non quæ gravissima est dispu-  
tatio, (a) Imperii. Quamquam inquit Grotius, (b) plerumque  
uno actu quæri solent Imperium & Dominium, sunt tamen distin-  
cta, ideoque non in Cives tantum, sed & in Extraneos transit manen-  
te penes quem fuit Imperio.

Removetur  
acquisitio de-  
rivativa Im-  
periorum.

(a) Dn. Bœcler. ad cap. VI. n. 3. p. 206.

(b) Lib. II. cap. III. n. 4. ibique annot. & §. 19. Lib. II. cap. I. n.  
9. Lib. I. cap. III. n. ult.

§. V. Quia itaque cum de Acquisitione agimus, tum de Ac-  
quisitione Domini, hujus loci non est Jus retinendi res, (a) sive  
res illæ Pacatorum sive Hostis fuerint ad securitatem & cautionem  
necessariam, quod Grotio alibi (b) jus quoddam capiendi sine ac-  
quirendi Jure dicitur.

Jus capiendi  
sine acquiren-  
di jure.

(a) Lib. III. cap. XIII. n. 1. & cap. I. n. 2. Lib. II. cap. II. n. 10.

(b) Lib. III. cap. XIII. n. 1. M. Zuer. Bøxhorn. in not. ad instit. po-  
lit. Lib. I. cap. 12. p. m. 192. & Disquisit. 30. p. 133. seq.

§. VI. Removemus simul hinc modos acquirendi spurios, Modi acqui-  
quos ad duo capita revocat Pufendorf. (a) vim scil. & fraudem,   
sub illâ rapinam, latrocinium, Piraticam &c. sub istâ Furtum, Sa-  
crilegium &c. comprehendens; Hos enim modos capiendi esse  
cum acquirendi jure, dominiique translaticos nondum persuade-  
mur. (b)

Modi acqui-  
rendi spurii.

(a) Elem. J. U. Lib. I. Definit. V §. 23. & 24. p. 54. seqq. fortassis  
ex Aristotel. lib. 5. Nicomach. cap. 5. in fin.

(b) Indè Athenienses Halonesum, quam ipsis Prædones, Prædonibus  
Philippus eripuerat, ut redditam à Philippo non ut donatam vo-  
lebant accipere. Adde Grot. Lib. III. cap. IX. n. 16. Dn. Boe-  
cler. ad Lib. II. cap. VII. n. 12. p. 279. Excellentiss. Dn. Thoma-  
sium nostrum Disputat. de Latrocin. Gent. in Gent. §. 37.

Acquisitio  
derivativa  
quæ lege fit.

§. VII. Sed nec adeo liberales nos esse, ut Disputationis nostræ argumentum Acquisitionem derivativam in genere faceremus, ex inscriptione ejusdem patet, cujus generalitatem verbis istis: Facto hominis, ita temperavimus, ut huic operam nostram mancipientes, illas quæ Jure belli fit, (a) quæ Successione ab intestato & Expletione Juris (b) Aliis excutiendas relinqvamus, fiunt enim non facto Hominis sed Lege.

(a) Grot. Lib. II. cap. VIII. n. 1. Lib. III. cap. IV. V. & VI.

(b) Lib. II. cap. VII. n. 2. & 3. Dn. Felden. hic p. 199.

Factum ho-  
minis quid  
hoc loco?

§. VIII. Facti nomen, quam varias admittat significatio-  
nes, tædiosè hic non inquirimus. Quæ nostri sit loci, facile con-  
stare putamus ex eo, quod de facto hominis hic nobis sermo fit,  
ut adeo hic non latè & physicè significet operationem aut actio-  
nem quamcunqve, neqve etiam actum ipsius voluntatis, quatenus  
præcisè spectatur ut motus physicus à potentia naturali quâ tali  
productus, sed moraliter, rursus tamen non eo sensu, quo actum  
significat tantum immanentem, (a) actumqve voluntatis exter-  
num excludit; verum aggregativo, ut istum includit, innuitqve,  
actionem voluntariam deliberatam transeuntem.

(a) His enim nihil imputari potest, quia non sunt spectabiles. Hoc  
in curiis Gallix non semper observari tradit Bodinus de Republ.  
lib. 4. cap. ult. p. 734. An quod etiam suspiciones puniendæ?  
Forstner. ad Tacit. lib. 13. p. 397. An aliquid ex iniquo habet?  
Vide Scharrock. de Offic. sec Jus Natur. cap. 3. n. 7. p. 188. & quæ  
antecedunt. Dn. D. Ziegler. Lib. II. cap. IV. p. 253. Grot. Lib.  
II. capite elegantissimo quidem sed & spinosissimo XX. n. 18.  
& 39.

Actus exter-  
nus cur ne-  
cessarius?

§. IX. Transeuntem diximus, quia ad ejusmodi actum Juris  
effectus, qui ab animo pendent demum consequi cum ratione do-  
cet Grotius, (a) quando actibus animi internis nudis & in actus  
externos nondum influentibus efficientiam aliquam Juris tribue-  
re incongruum esse pronuntiat Naturæ Societatis humanæ, quæ  
nonnisi ex Signis actus cognoscere potest. Hinc duo notari mo-  
net, (b) in dante non sufficere, ut scilicet. Dominium aut Totum aut  
pro parte transferatur, actum internum voluntatis sed verba simul  
requiri aut alia Signa externa. In eo, cui res datur voluntas acci-  
piendi cum suo signo.

(a) Lib. II. cap. IV. n. 3. & cap. XVI. n. 1. Pufendorf. E. J. U. lib. 1.  
definit.

definit. XII. §. 23. & 38. p. 121. & 149. Lib. II. Observat. IV. §. 34. p. 346. Scharrock. de offic. sec. Jus Nat. cap. IV. N. 3. §. 2. p. 236.

(b) Lib. II. cap. VI. n. 1. & 2. ibiqve Dn. Bœcler. p. 202. cap. III. n. 2. cap. XVI. n. ult. Adde Lessium de J. & J. Lib. 4. cap. 18. dub. 5.

§. X. Signa illa & actus externi internos animi actus manifestativa & acquisitionem nostram constitutiva valde varia sunt. Ut enim verum dicitur, liceat mentem exprimere verbis Grotii, (a) Hominis naturam hanc esse peculiarem supra cœteras animantes, ut conceptus animi possit aliis indicare, & ad rem voces repertas, addendum tamen est, non solis vocibus tale fieri indicium sed & notibus, quibus pares sunt notæ illæ, (b) quæ non voces lingvâ figuratas significant, sed res ipsas, sive ex aliquâ convenientiâ ut notæ hieroglyphicæ (c) sive mero arbitratu ut apud Sineses (d), ut quod tantum de Sermone habet Scaliger, hîc ampliando nostrum facere possimus, omne illud sub actu externo comprehendentes, quod quasi quidam portitor & index est animi nostri in Alterum aliquid transferre, aut ab Altero aliquid acquirere volentis.

Actus externi sive signa varia sunt.

(a) Lib. III. cap. I. n. 8. Adde Aristotel. 1. Polit. 2. ibiqve Piccart.

(b) Notas distinguunt in notas-literas & non-literas. Illæ erant A. (Absolutionem) C. (Condemnationem) N. L. (Non Liqvet) innuentes. Hæ, Absolutionis quidem Calculus albus, Condemnationis Calculus niger. De quibus Poëtæ. Huc refer Romanorum notas Senatû Populûqve Romanum & S C tum significantes descriptasque apud Hermann. Hugon. cap. 22. p. 154. de primâ scribend. origin.

(c) Per ejusmodi notas & figuras hieroglyphicas Ægyptii sensus effinxere. Vid. Alex. ab Alexandr. Lib. 2. cap. 19. p. 87.

(d) Vid. Dn. Theoph. Spiz. comment de relit. Sines. Sect. 4. & 5. Plin. Lib. 6. N. H. cap. XXX. p. 278. ubi de Æthiopum Gente scribit, Quibusdam pro sermone nutus motusque membrorum esse.

§. XI. Quod tamen non eò extendimus, ut etiam de Signis vagis, obscuris, ambiguis & quæ quilibet sibi pro lubitu fingere posset, acceptum velimus, sed de certis (a) claris & extra querelam incertæ voluntatis positis, vel uti Grotius loqui amat, (b) quæ in hominum commercio versantur. Nisi quod ista omnia non  
Debent esse certa.  
obstare

obstare dixerimus, ubi judicandi Libertas, quam Homines collo-  
quentes his quibus colloquuntur, quasi pacto quodam tacito de-  
bent volente & consentiente Eo, qui cum agimus, sublata fuit;  
Certa enim tum sunt non amplius incerta atque ambigua.

(a) Dn. Bœcler. ad Lib. II. cap. VI. n. 2.

(b) Grot. Lib. III. cap. I. n. 9.

Objicitur.

§. XII. Novimus quidem nec inexperti, nullam Animi Si-  
gnis inesse certitudinem mathematicam, multis enim simulatio-  
num involucris tegitur & quasi velis quibusdam obtenditur unius-  
cujusque natura. Frons, oculi, vultus persæpè mentiuntur. (a)  
Sufficit tamen illam sic satis certam habeant, quam communis &  
tacita quasi Gentium singularum conventio ea habere voluit,  
quaque hætenus in communi hominum commercio æstiman-  
tur. (b)

(a) Cic. ad Q. Fratr. Lib. I. Epist. I. p. m. 565. C. Cornel. Nep. in  
vit. Datam. cap. ult.

(b) Grot. Lib. III. cap. I. §. 8. Pufendorf. lib. II. observ. IV. §.  
34. p. 346.

Sunt duplicia.

§. XIII. Placuit autem istam tribuere certitudinem non iis  
modò signis, quæ in faciendo, sed istis etiam quæ in non-faciendo  
consistunt, ut bene Grotius dixerit (a); sub factis moraliter etiam  
venire non facta, actus amissionis (b) alibi dictos, & actuum alios  
positivos esse, alios negativos. (c)

(a) Lib. II. cap. IV. n. 5. & cap. VIII. n. 10. Pufendorf. Elem. J. U.  
lib. I. def. V. §. 24. p. 56. seqq.

(b) Lib. II. cap. XXI. n. 2.

(c) Lib. III. cap. I. n. 7. Adde Lib. II. cap. XVII. n. 8. Sic ex ne-  
glectu jus nascitur adversus Reges & Magistratus qui ad inhiben-  
da latrocinia & Piraticam non adhibent ea, quæ possunt ac de-  
bent remedia d. I. n. 20. R. Z. Jus inter Gent. Part. II. Sect. V.  
quæst. I. p. 219. Ex receptu Timocleam apud Barelaj. in Arge-  
nid. Rusticus ille. quem cæteri Agrestes Ducem ac Licetorem di-  
cam, habebant, ad vincula deposcit. Lib. I. cap. 2. p. m. 70.

§. XIV. Imò si accuratè loqui volumus, ii actus qui in non  
faciendo consistunt, æquè positivi dicendi erunt, ac ii, quos in fa-  
ciendo consistere diximus, nisi quoad actum externum saltim in  
se, & quoad actum externum, nisi physicè saltim moraliter.

Est enim non-facere actus volendi. Vide Excellentissimi Dn. Tho-  
masii nostri Discursum privatum ad Philosoph. Pract. Tab. X.  
lin. 14. Annotat. XLIX. n. 2. MS. Pufendorf. E. J. U. lib. I. def. I.  
§. 5. p. 4. §. XV.

§. XV. Neque tamen ideò semper & absolutè verum est, quod dicitur: Qui tacet, consentire videtur. Etenim, si silentium præcisè & in nudis suis terminis spectamus, Tacentem assentire vel dissentire affirmare vel negare tutò dicere non audemus. Est enim silentium inter ea, quæ medium quoddam genus inter utrumque obtinent, (a) sicquæ signum magis incertum atque ambiguum, quàm quòd de mente & voluntate tacentis nos sufficienter informare possit. Quia tamen intererat Societati humanæ ad lites avertendas (b) & faciliùs expedienda negotia etiam non factis & silentio suam constare certitudinem, obtinuit, Silentium ejus, qui, v. g. circa rem suam Alium pro arbitrio & suo nomine disporre liberè patitur, h. e. Silentium Scientis & liberè volentis (c) ad consensus inductionem vim habere satis sufficientem atque validam.

Tacens quando consentit.

(a) Magnif. Dn. D. Ziegler. ad Lib. II. cap. IV. n. 5. p. 255. [Guilielm. Grot. Enchirid. de princip. Jur. natur. cap. XX. §. 3. p. 320.]

(b) Vid. Grot. Lib. II. cap. IV. n. 3. §. 3. p. 240.

(c) Grot. d. l. Numeror. 30. v. 5. seqq.

§. XVI. Nec etiam eò magis successione ab intestato ad Acquisitionem derivativam, quæ factò hominis fit, referimus. Ut enim conjectura voluntatis in non factò sese fundare videatur, atque ex illà naturalem habere originem (a), non tamen primam ex eadem habet, sed ex ratione naturali quasi lege quãdam tacita (b) quæ liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successione eos vocando. Rectissimè Dn. Bœclerus: (c) Non opponenda est hîc ratio naturalis conjecturæ voluntatis sed cum eâ componenda, quia voluntatem natura informat.

Successio ab Intestato ad eam, quæ Legge fit, acquisitionem pertinet.

(a) Grot. Lib. II. cap. VII. n. 3. 5. 10. & 11. Pufendorf. Elem. J. U. lib. I. Def. V. §. 26. p. 60. in fin.

(b) l. 7. ff. de bon. Damnat. l. 36. §. 2. ff. de inoffic. testament. Adde Grot. d. l. n. 5. (c) ad Lib. II. cap. VII. n. 3. p. 246. seqq. Add. Grasvvinckel. ibid. p. 133.

§. XVII. Notanter dicit voluntatem à Natura informari. Quamquam enim etiam Jus civile voluntates Extraneorum ultimas expressas ad Legum solennitates & Juris regulas exigit, ut exitum habeant, dirigere tamen videtur magis quàm informare, nec tam ipsam Testatoris voluntatem, terminando eam in hoc præcisè Individuum ut Jus Naturæ facit, quàm volendi modum.

B

§. XIX.

Actus inter-  
nus debet esse  
determinatus  
& deliberatus.

Hinc Infantes  
&c. non ac-  
quirunt.

§. XIX. Ab actu externo deducimur ad actum internum, animumque acquirendi, quem non dubium, certum & determinatum esse debere facile ex dictis circa actum externum colligere licet. Innotescit etiam illud clarius ex eo, quod factum Hominis exposuimus actum voluntarium deliberatum. Est autem deliberare inquirere in media ad finem conducentia, hunc cum istis conferre eaque dijudicare.

§. XIX. Quod, cum opus sit Intellectus (a) & quidem practici, palam facit, actus non deliberatos, (b) atque actus Eorum, qui usurationis destituuntur, nullos habere effectus. Sic Grotius (c), quod animo non deliberato fit ut ad vim obligandi non pertinet, ita nec ad vim acquirendi. Adde quod Furiosi Amentes & Infantes quantum ad actus civiles infra hominis dignitatem morali æstimatione dejiciendi veniant, ut propterea etiã jam laudatus Grotius hinc (d) non actum voluntatis simpliciter, sed actum voluntatis rationalis h. e. ut in notis adcit. locum & alibi (e) sese explicavit, actum eius qui ratione utitur intelligi debere asseveret.

(a) Aristot. 6. Nic. 10. 2. Eudem 10.

(b) An inter actus non deliberatos, nondumque determinatos adeoque non translaticos juris etiam ii actus, qui verbis de futuro sunt v. g. Cras dabo, Cras promittam, numerandi sint, affirmante istud Hobbesio de Cive cap. II. Art. VI. p. m. 24. seqq. & ex hoc Pufendorf. Elem. J. U. lib. I. Def. XII. §. 9. p. m. 98. 99. seq. negante verò Scharrockio de Offic. sec. Jus Natur. Cap. IV. N. 10. p. 307, alibi fortè dicemus.

(c) Grot. Lib. II. cap. XI. n. 4 & 5. Dn. Pufendorf. E. J. U. Lib. I. Def. III. §. 3. p. 9. & clarius Def. XII. §. 18. p. 113.

(d) Lib. II. cap. VI. n. 1. Dn. Felden. hinc p. m. 195.

(e) Lib. II. cap. III. n. 6. Æschyli dictum est, apud nunquam satis laudandum Grotium Lib. II. cap. V. n. 2.

Ætas prima ceu brutum pecus  
ut educetur mentis alienæ indiget.

§. XX. Quod eo propius à vero alienum est, quò magis sunt, qui affirmant: Ignoranti nihil acquiri.

§. XXI. Sed nec secundum illos, qui etiam ignorantibus Dominiorum acquisitionem vindicant, sequitur Eos, quibus ratio deficit, quæ sua sunt transferre, & quæ alterius acquirere posse. Quamquam enim dederimus, eum cujus laqueo sive in suo sive in alieno sive in privato sive publico loco sive permittente sive non per-

permittente Domino (inpræsens enim nihil refert)posito ita sese ir-  
retivit Fera, ut exire inde nequeat, etiam ignorantē acquirere, adeo  
ut qui sine scientia & patientia Domini captam exemerit, furti te-  
neatur, negandum tamen est, ignorantiam istam ita esse universa-  
lem, ut omnem omninò excludat voluntatem. Saltem enim adest  
voluntas acquirendi præcedens generalis, quâ ponendo laqueum,  
id omne suum esse vult, quod in Eo capiatur. At verò hanc volun-  
tatem præcedentem generalem Furiosis & Infantibus asserere velle  
eò difficilius videtur, quo magis à sensibus abit.

Magnific. Dn. D. Ziegler. ad Lib. II. Grot. cap. VIII. n. 4. p. 317.

& ad Lib. III. cap. XXI. §. 28. p. 604.

§. XXII. Non tamen dubitandum est, quin si quis, cui per An Furiosus?  
certa intervalla mens loco mota est, eo tempore quo rediit, dixerit:  
Rem illam cuicumque demum Emptori centum vendiderim, in Em-  
torem Titium, omninò etiam ignotum Venditori & vehementis-  
simè etiam isto furiente aliàs tamen circumstantis iisdem manenti-  
bus, Rei, in venditorem Pretii dominium transferit.

§. XXIII. Monere prætereo per factum Hominis Collegia An Universi-  
tates & Col-  
legia?  
& universitates ab Acquisitione nos hinc non excludere. Nega-  
mus enim facta Collegarum, facta eorum, qui ex Universitate sunt,  
prout hic consideramus & sensu morali esse facta Hominum & a-  
ctus Eorum esse plures actus. Universi sunt homo. Omnes Col-  
legæ sunt Homo, non dispari fortassis modo, quàm quo Omnes  
sunt Princeps! (in Democratia) Multi sunt Princeps (in Aristocra-  
tia) haud absurdè sensit Boxhornius.

Instit. Polit. Lib. 2. cap. 5. §. 7. & in not. p. m. 326. seq. Add. Pu-

fendorf. E. J. U. Lib. 1. Def. IV. §. 3. & 4. p. 22. seq. Def. XII.

§. 17. p. 112. & §. 26. p. 126. seq. Dn. Bœcler. Comment. ad

Grot. Lib. I. cap. 1. de Domin. Eminent. p. 91.

§. XXIV. Illud autem dispiciamus, an per medias Perso- An per Alios  
acquirere  
possimus?  
nas acquirere possimus? Et de his quidem in quarum voluntatem  
voluntatem nostram quasi resignavimus, auctoritatem gestis earum  
conferendo, nullum est dubium, quin res, quæ nostræ sunt, alienare  
& Dominium transferre rursusq; alias nobis acquirere possint. Sic  
enim principium & causa acquisitionis in nobis est, (a) sicque ve-  
rum est, quod dicitur: Facimus ipsi quod per alios facimus. (b)  
At verò de iis, qui mentis impotes sunt, res non omninò videtur

esse expedita. Licet enim naturaliter Homo Hominis alterius instrumentum sit, (c) est tamen nonnisi volens & volentis. Velle autem non possunt, quoniam non intelligunt quod agunt.

(a) Aristotel. 3. Nicomach. 5. Rachel. de princip. action. moral. Disput. V. Th. 28.

(b) Grot. Lib. II. cap. VI. n. 9. Pufendorf. E. J. U. Def. XII. §. 25. p. 123. & Lib. II. observat. I. §. 8. p. 273. (dors. d. l.)

(c) Idem Lib. III. cap. VI. n. 9. & cap. XXII. n. 2. Adde Pufendorf. §. XXV. Neque quod alienatio vel Acquisitio Personis istius-

modi utilis & commoda videatur, sufficiens fundamentum præbere potest, ut ad voluntatem consequentem concludere & ab istâ ad præsentem præsumere ad eum scilicet affectum, de quo quæstio nobis est liceat. Non enim quod huic aut illi utile & bonum est vel videtur, statim etiam mihi tale est, & communis opinio nisi semper sæpius tamen communis error.

§. XXVI. Si opinioni hominum fundamentum illud, quod ab objecto & intimâ rerum natura desumi potest, substerneret, non quidem dubitamus, quoniam in iis rebus, quæ servando servari nequeunt, quæ ad Corporis & vitæ necessitatem faciunt, de Infantis vel Furiosi voluntate possimus esse certissimi. Hos enim si per ætatem vel morbum voluntatem suam, quam ad maturiorem ætatem perducti aut sanam mentem reducti haberent, si inquirimus, pronunc explicare possent in istarum acquisitionem & illarum alienationem consensuros esse præsentissima quæ ex illâ fluit persuadet. Utilitas. Præterea autem, quod, quid circa res suas alias fieri velint, in incerto relinquitur, nihil etiam impedimento esse videtur, quo minus à rationis usu alieni, Furiosus cum Furioso, cum Infante Infans, aut cum infante Major, cum Furioso mentis compos per sese ipsi & citra ministras Aliorum manus res suas alienare & alias acquirere possent, non sine omnium, quæ de Acquisitionum & obligationum materia Dd tradunt, & nos supra pro tenuitate nostrâ leviter delibavimus, principiorum destructione.

§. XXVII. Facit, quod non pauca sint, quæ Homines non indigentia aut utilitatis causa acquirere velint, sed voluptatis gratia, ut adeo vel sic utilitas nondum fundamentum voluntatis consequentis adæquatam constituat. Quod si utile eò extendis ut etiam jucundum comprehendere velis, vereor ut persuaseris: omnibus

mnibus idem jucundum i. e. utile accidere. Trahit sua quemque voluptas, &

Castor gaudet Equis, Ovo prognatus eodem  
pugnis. Quot Capita vivunt totidem studiorum  
millia. —

Horat. Lib. II. Serm. Satyr. I. p. m. 259.

§. XXIX. Imò ne ea quidem, quæ utilis nobis est actio Ter-  
tiii, statim pro nostra habenda est, nisi quod volumus in Alterius  
voluntate posuerimus. Manifestum hoc esse putamus ex accepta-  
tione Promissionis ( quantum ad Juris concessionem & accepta-  
tionem ejus alienandi & promittendi par est ratio (a) pro Alio fa-  
cta ab Eo, qui mandatum non habet. (b) Hæc enim ut eandem  
cum eâ, quæ ad Ejus cui promittitur mandatum facta est, effectum  
habeat & jus transferat, præter acceptationem ab Eo, qui manda-  
tum non habet, factam, etiam Ejus cui promittitur, requirit ratiha-  
bitionem usque adeò, ut hæc etiam nondum subsecuta Promissor  
promissionem revocando non contra jus alicujus proprium face-  
re dicatur, sed saltim contra fidem. Ubi tamen si ex utilitate, quam  
supponamus, infallibiliter & ad hunc effectum ut Dominium in  
Tertium transiret ad voluntatem sive consensum Ejus pro Quo ac-  
ceptatio fit præsumere liceret, nec ratihabitio necessaria esset, nec  
diversus ab alterâ sequeretur effectus, nec revocatione fides saltim,  
sed Ejus pro Quo acceptatio facta est, Jus proprium, quod statim  
per hanc in Istum transiisse dicendum est, violaretur.

(a) Vide Grot. Lib. II. cap. VI. n. 2.

(b) Eundem d. l. cap. XI. n. 18. Adde Gvilielm. Grot. Enchirid. de  
Princip. Juris natural. cap. 16. §. 12. p. 271.

§. XXIX. Quod eo magis verum est, nisi fallit, quod Dn.  
Feldenus habet (a) omnem conventionem fieri propter causam  
aliquam, ut nequidem donatio excipi debeat, quippe quæ vel ob  
Amicitiam fieret vel ob honorem, quem sibi Donans ex liberalita-  
te parere studet, Ad quam cum Promissarius vel Donatarius per  
acceptationem obligetur, iniquissimum videretur onerari Eum  
posse per Alium & Alterius per Alterum conditionem posse fieri  
deteriorem. Quomodo Aliorum factum Aliis Damno esse po-  
test, inquit Grotius noster. (b)

(a) Ad Hugon. Grot. Lib. II. cap. XI. §. 1. p. m. 253. §. 4. p. 259.  
§. 14. p. 272. seq. §. 18. p. 277. & §. 21. p. 278.

(b) Lib. I. cap. IV. n. 10.

B 3

§. XXX.

§. XXX. Quid Grotius, qui si solum Jus naturale spectamus, Dominium non dari asserit, nisi in Eo, qui ratione utitur? Sed Jus Gentium, inquit, (a) ob utilitatem comunem introduxit, ut & Infantes & Furiosi Dominia accipere & retinere possent, Personam illorum interim quasi sustinente humano Genere. Sed nimirum pergit ibidem, humana jura multa constituere possunt praeter naturam contra Naturam nihil. Pro his inquit alibi, (b) ut possidendi res, quae possessione quaruntur ita & acceptandi animum jus supplet. Si quando acceptatio non necessario requiritur, ut in Infantibus, ex jure positivo est, quod defectum acceptationis supplet, docet Bonacina (c). An Clariss. Pufendorf. (d) quoque in hanc sententiam inclinatur, quando quaestione de Dominio Infantum & Furiosorum ex acquirendi impotentia ob quam Eorum Dominia ipsis pretiosiora esse facta asserit pro Infantibus & Furiosis decidit? Grævinius (e) plane, quia cum Grotio omne Dominium Infantibus atque Furiosis adimit, tantum abest, ut acquirendi potentiam etiam vicariam istis concedere possit.

(a) Lib. II. cap. III. n. 6. (b) d. lib. cap. II. n. 14. (c) De sponsalib. Tom. I. D. I. q. 1. punct. 1. n. 6. (d) Elem. J. U. lib. I. Def. V. §. 27. p. 61. (e) ad Grot. Lib. II. cap. III. §. 6. p. 110.

§. XXXI. Nos quibus immaturum exprobrari poterat Judicium Aliorum Judicio hic vivere malumus quam ipsi aliquid definire, fortassis tamen non omnino improbabilis est negativa sententia, aut tamen non adeo culpandi erimus, si hactenus auctoritati magni nostri Grotii aliorumque aliquid tribuerimus.

An ratione  
non utentes  
amittant re-  
rum suarum  
dominium:

§. XXXII. Quod autem de iis, qui mentis inopia laborant, diximus, non eodem pertinet, ut etiam rerum suarum Dominium, quod eis jamjam acquisitum est, per morbum vel propter aetatem amittant. Nulla consequentia: Furiosus, Infans non potest alienare. E. amittit Dominium. An actus alienandi de essentia Domini est? (a) An natura, quod hanc quasi manu per successionem ab intestato porrigit, manu altera rursus auferet? An Eum, quem furoris injuria sana ratione exuit, praeterea vestimentis exuere & spoliari jubet? Absit, o Jupiter, ut lucrum captemus tale ex hominum infortunio. (b) Eleganter Clariss. Dn. Pufendorf. (c) Res inquit, quae Dominio subsunt, plerumque necessitatibus Corporis inserviunt, quae cum illos non minus quam rationis compotes urgeant, absurdum foret,

foret, conditionem ætatis aut morbum ad id adimendum ipsis aliquid valere, quod ob concomitantem acquirendi impotentiam, pretiosius ipsis factum est.

(a) Nobiliss. Dn. Felden. ad Lib. II Grot. cap. VI. §. 14. p. 200. Gerhard. Feltmannus in de Jur. in Re & ad Rem tractatu oppido eleganti cap. XII. §. 15. p. 157.

(b) De Naufragis hoc habet ex Dion. Prusænsi Grot. Lib. II. cap. VII n. 1. (c) Elem. J. U. Lib. I. Def. V. §. 27. p. 61. seqq. Ad de Dn. Felden. ad Lib. II. Grot. cap. III. n. 6. p. m. 140. Item Dn. Bœcler. & Dn. D. Ziegler. ad d. l. Istum p. 95. Hunc p. 245. Cum quibus confer, quæ habet idem ad cap. XXII. §. 10. p. 495. Horn. de Civitat. Lib. II. cap. XI. n. 2. 3. p. 515. seqq. Jacob. Gordon. Theolog. moral. Univers. Lib. III. Quæst. II. cap. 3. n. 2. p. 508.

§. XXXIII. Pertinent tamen ea omnia, quæ de Signis & actu interno diximus, non ad Danem solum nec solum ad Accipientem sed ad utrumque; tam Danem quam Accipientem etiam Civitatem per superius dicta, quæ cum nullo negotio ad istum applicari possint, actum agere, dicta quæ tædiosè repetere nolumus uti nec debemus.

Extenduntur  
quæ diximus.

Vide Grot. Lib. II. cap. VI. n. 3. cap. XI. n. 14. Bonacinam de Contract. Disp. III. q. XI. Punct. II. n. 5. & 6. p. 222. Jacob. Gordon Theolog. moral. Lib. IV. q. III. cap. II. §. 1. n. 6. & 7 p. 571. seq. Pufendorf. Elem. J. U. Lib. I. Def. XII. §. 10. & 24. p. 100. & 122. Guilielm. Grot. de Princ. Jur. natural. cap. XX. §. 24. p. 390.

§. XXXIV. Quia igitur actionem Tertii ut supra diximus, statim pro nostrâ agnoscere non obligamur, sequitur rerum nostrarum dominium à Tertio nobis interverti & alienarum acquiri non posse. Mente autem nostra sive per nosmetipsos sive per vicarios utrinque de re danda & acceptandâ idoneè explicata res omnes nostræ fiunt, quæ alterius potestati subjectæ Domini jure possidebantur.

Objectum.

§. XXXV. Utrumque quidem innuit, intra limites nostros nos continere. Res enim illas, quæ ad Neminem pertinent (Nul- lius (a) dicuntur & res pro derelicto habitas comprehendunt) (b) ab acquisitione hæc nostrâ, quæ earum rerum est, quæ cum nostræ fierent, Alterius erant, (derivativa inde etiam dicta) omninò alienas esse supra insinuavimus. Quia verò & Personæ & Territorium Potestati Imperantis subjecta sunt, Res etiam sacræ & sanctæ ali-

Quod explir-  
catur.

quo

quo Domini jure possidentur (c), paulo arctius objectum disputationis nostræ circumscribemus.

(a) Grot. Lib. II. cap. III. n. 3. & 4. (b) Idem d. l. n. ult.

(c) Vid. Grot. Lib. III. cap. V. n. 2. Joh. Frieder. Horn. de Civitat. Lib. II. cap. III. §. 7. p. 261. seqq. Pufendorf. E. J. U. Lib. I. Def. V. §. 5. p. 28. seq. Jacob. Andr. Crusii opuscul. variar. Dissert. de Domin. Eminent, cap. VIII. p. 50. 51. seq.

Determinatur

§. XXXVI. An satis aptum dederimus, si dixerimus: Res omnes familiares (a) i. e. res sub ratione Domini vulgaris huc pertinere?

Magnif. Dn. D. Ziegler. ad Grot. Lib. I. cap. III. §. 12. p. 137.

distinguitur  
ab Imperio.

§. XXXVII. Et illud quidem satis clarum esse existimamus, quando de rebus nobis sermo est, Nos Personas & in eas Imperium hinc excludere. Est enim, si accuratè loquimur, nullum in res sed omne in Personas Imperium. (a) Ut propterea etiam sæpius laudatus & omnis interioris literaturæ conscius Da. Boeclerus præoccupaverit objectionem Eorum, qui Grotium rectius facturum fuisse opinari poterant, si Dominium Eminentens ad possessiones & bona tantum Civium non etiam ad Personas retulisset.

(a) Horn. de Civitat. Lib. II. cap. II. §. 2. p. 190. seq. & clarissimè §. 3. p. 195. item d. l. cap. III. §. 1. p. 247.

(b) Dissert. de Domin. Eminent. p. 87.

§. XXXVIII. Quod si servi etiam quandoque rerum nomine comprehenduntur per Analogiam illud fit & improprie, quatenus circa hos Imperium eosdem fermè quos Dominium circa res producit effectus.

§. XXXIX. Sed ista (a) differentia inter Dominium & Imperium fortè illis hætenus sufficeret, qui eodem sensu Imperii vocabulo uterentur, illudque efficeret, ut etiam de Acquisitione Domini in Territorium, (b) & quod sub Eo includit Hornius, de Dominio in Republicas, Temples, Curias, Res sacras & sanctas &c. differere deberent. Nobis autem Grotii stilus, quem prætereà imitari volumus, hæc lotia fecit. Nisi enim fallimur, licentiùs ille extendit vocabulum Imperii, quam ut solam potestatem in Personam designare velit, dum potestatem sive Dominium in Territorium sub Imperio comprehendit. (c)

(a) Differunt enim prætereà etiam regendi modo secundum Horn. cit. loc. cap. III. §. 1. p. 247. An etiam eo, quod Dominium in

com-

commercio sit, non verò Imperium, utrumque affirmante Hor-  
nio Lib. II. cap. IX. §. 13. p. 436. & 453. Negante vero Magni-  
fic. Dn D. Zieglero ad Lib. I. Grot. cap. III. §. 12. p. 137. con-  
ciliant & videant Alii. (b) Horn. Lib. II. cap. 2. §. 2. p. 193.  
(c) Lib. II. cap. III. n. 4.

§. XL. Definitivè loquamur: Pro Majestate sive potestate  
summâ civili Hic accipit; Illi pro Jure Majestatis. Pro Toto ille,  
Hi pro parte.

§. XLI. E contrario Dominium adeò ignobile Nomen,  
Ei esse videtur, ut saltim non semper nonnisi Dominium privatum  
(a), vulgare Dominium (b) & Proprietatem (c) eo significet.

(a) Grot. Lib. I. cap. III. n. 8. p. 54. (b) Pufendorf. E. J. U.  
Lib. I. Def. V. §. 2. p. 25. Horn. de Civit. Lib. II. cap. II. p.  
193. (c) Senec. Lib. VII. de Benef. cap. IV. p. 506. Grot. Lib.  
II. cap. II. n. 1. Horn. Lib. II. cap. X. §. 2. pag. 465.

§. XLII. Hujus quod dicimus argumentum esse potest tum  
Exemplum, quod ad declarandas Imperii & Domini distinctas  
naturas à Dominio Civium sive Privatorum desumit, tum verò  
maximè locus, cum Aliis ex Senecâ citatis ille præcipuè, quo omnia  
Rex Imperio, singuli Dominio possidere dicuntur.

(a) Grot. Lib. II. cap. III. n. 4. (b) Lib. VII. de Benef. cap. V. p. 507.

§. XLIII. Obiter & ex eo, quod etiam Dominium Eminens A Dominio  
pars est Imperii & Facultatis moralis civitatè gubernandi, (a) prout eminente.  
etiam à Grotio expressè sub eâ comprehenditur, simul intelligis,  
cui usui Grotius, quando duo occupabilia esse dixit (b) Imperi-  
um & Dominium, adjecerit hæc verba: quatenus ab Imperio di-  
stingvitur. Inculcare scil. voluit, aliud quidem adhuc esse Domi-  
nium, sed non vulgare non privatum, quod ab Imperio distingve-  
retur, sed Eminens, supereminens, publicum & cum aliis Majesta-  
tis juribus potestatem ubiq; (c) summam constituens.

(a) Horn. de Civit. Lib. II. cap. IV. §. 19. p. 321. Adde Dn. Bœc-  
ler. Lib. X. Cap. I. Dissert. de Dom. Emin. p. 87. (b) Lib. I.  
cap. III. p. 52. (c) Vid. Wendler. Lib. 2. Philosoph. pract.  
Sect. 2. cap. 1. §. 2. p. 362. Cellar. Lib. 2. Polit. c. 7. §. 13. p.  
178. Excellent. Dn. Profess. Thomasium Tab. XLIX. Philosoph.  
Pract. n. 11. lin. 25. seq.

§. XLIV. Ut igitur Imperium etiam sensu Grotii acceptum  
à Dominio nostro distingveremus, non absolutè & simpliciter,  
Res, sed Res Familiars h. e. Res quæ quilibet ut Privatus & usus  
C parti-

particularis causa possidet objectum disputationis nostrae facere debebamus.

§. XLV. Ut ut inde etiam Dominium Eminentis de rebus familiaribus quandoque disponit & actus etiam verissimo Dominio debitos circa eas exercent, fit tamen illud non sub ratione Domini vulgaris sed Eminentis nec usus particularis causa sed causa boni publici.

Transitio ad  
finem.

Dn. Bœcler, de Domin Eminent. p. 93.

§. XLVI. Cum quæ vidimus hactenus, ut acquirere possimus faciant, videamus etiam sed paucissimas, quæ ut etiam velimus movere possint.

Finis ipse,

§. XLVII. Suprà ex Pufendorffio diximus, Res plerasque intervenire necessitatibus corporis; Has itaque ut propellamus res varias pro illius necessitatis varietate acquirere gaudemus.

Lib. I. Def. V. §. 27. seq. Vid. etiam Dn. Feldenum. ad Lib. II. Grot. cap. VI. n. 14. p. 201.

§. XLVIII. Plerasque dixit, quia res multas voluntas hominum magis desiderat, quam sunt necessariae. Margaritis inquit Plinius, pretia luxuria fecit.

Lib. IX. cap. 35. in fin. N. H. p. 429.

§. XLIX. Rursus, quia nec nobis solum nati sumus, ut Aliis quoque beneficiamus, multa acquirimus aut acquirere debemus.

Dn. Felden. d. l. p. 203. Aristot. Lib. II. Polit. cap. V.

§. L. Paucis: Acquirimus rerum Dominium, ut iis quomodo, quando, quamdiu & ubi libet uti possimus, de quæ iis pro Animi nostri sententia liberrimè disponere, alienando, permutando aliisque; si qui sunt usus, particularis causa disponendi modis. Ubi si precariò rem habes quædam nec possis, cætera ex concedentis Domini benefico dependent arbitrio.

Adde hic Cic. Lib. II. de Nat. Deor. p. m. 326. seq. & Aristot. supra cit. loco.

Forma Acqui-  
sitionis no-  
stræ & an tra-  
ditio necessa-  
ria.

§. LI. Ex hactenus traditis non difficile est concludere in Acquisitione nostrâ derivativa utramque paginam facere voluntatem rem familiarem dandi & acceptandi deliberatam & utrinque idoneè explicatam. Ut etiam hanc solam citra ullam intervenientem traditionem, quod difficulter quidem Jur. Civil. Doctoribus persuadetur, (verba sunt Magnif. Dn. D. Ziegler.) hinc dominiū abdi-

abdicationem, illinc ejusdem adeptionem sequi cum Grotio, hujus  
Commentatoribus & aliis hactenus statuamus.

Grot. Lib. II. cap. VI. n. 1. & cap. XII. n. 15. Dn. D. Ziegler  
in aur. ad Grot. not. cap. VI. p. 293. seqq. Dignus Grotio com-  
mentator Dn. Bœclerus ibid. p. 201. & 205. Lessius Lib. I. cap.  
III. dub. 3. §. 12. de J. & J. Grasvinckel. p. 129. Pufendorf. E.  
J. U. Lib. I. Def. XII. §. 9. p. 99. Bonacin. Theolog. & J. U. D.  
de Contract. & restit. Disp. III. q. II. Punct. I. n. 4. p. 131. Dn.  
Hahn. p. m. observ. Theoric. pract. ad Paratitl. Wes. de Ac-  
qvir. rer. Dom. p. m. 321.

§. LII. Loquimur autem de Traditione civili sive quæ se-  
quatur voluntatem jamjam aliunde sufficienter & idoneè explica-  
tam, Ejusque jamjam manifestatæ quasi signum est. Non verò  
prout actus interni signum est manifestativum primò & pari passu  
cum aliis signis ambulat. Quia enim tum facit, ut quid velimus,  
etiam appareat, ipsi quoque eam, sed nec solam nec semper & ad  
omnem Dominii acquisitionem necessariam esse affirmamus.

§. LIII. Tantum autem abest, ut illa actus Dominii ultimus  
sit, (a) ut potius cum Bœclero (b) signum sit translati jamjam &  
ab altero acquisiti Dominii.

(a) Ita Nobiliss. Dn. Felden. ad Grot. d. l. p. m. 193. (b) Ibidem  
p. 206. ubi Dn. Felden. cum Grot. conciliat.

§. LIV. Quæ pro contraria sententia allegantur, vel ex Jur.  
Civili Romanorum (a) petuntur, vel alio aliquo jure particulari  
Hebræorum. (b) Græcorum, (c) Prussorum, Quæ uti utilitatis ci-  
viliscaussa (d) aliter disponere potuerunt, ita thesin nostram non  
ferint.

(a) l. 20. C. de pact. §. 3. Inst. de Emt. Vendit. (b) Selden. de  
J. N. G. secundum Ebræos Lib. 6. cap. 5. Dn. Bœcler. ad Lib. II.  
cap. VI. p. 204. (c) Feltmannus in Tract. de Jur. in re & ad  
rem cap. XIII. §. 29. & 30. p. 177. (d) Dn. Bœclerus d. l. p. 205.

§. LV. An indè hallucinatur Lugo, quando perfecta Em-  
tione Venditione Rei Dominium statim in Emtorem transire asse-  
rit? Probabile est, Eum extra Terminos Juris civilis loqui, quia si  
istos ingressus esset, principia communissima Eum ignorasse vix  
putandum est.

§. LVI. Describimus nunc Acquisitionem derivativam Do-  
minii Facto Hominis, quod sit, quæ per actum voluntatis rationa-  
lis

Descriptio  
Acquisitionis  
nostræ.

lis de dando & accipiendo deliberatum & signis idoneis manifestatum res familiaris nostra fit, quæ tum cum nostra fieret, erat Alterius.

Hæc dixisse hæc vice sufficient. Ubi veniam, quam denuò nobis rogamus, impetraverimus, atq; theses hæc leves, incomtas, minusque accuratè ex primis societatis naturalis principiis deductas Aliis melius & plenius scribendi ansam dedisse comperuerimus, obtinui-

mus, qui nobis propositus erat

FINEM.

---

## COROLLARIA.

I.  
**C**onjunctis sanguine duobus datis, cætera non dissimilibus sibi, nisi quod alteruter uno remotior sit gradu à Pupillo, Remotiori æquè tutò ac Proximiori Pupilli tutelam committi posse arbitramur.

II.  
Quando Jus aliquod in Alterum acceptantem verbis transfertur, transfertur illud verbis de præsentì vel præterito non de futuro. Hobbes. de Cive cap. II. art. 6. seq.

III.  
Hinc, ubi his verbis: Cras dabo aliquod jus in Alterum acceptantem hodiè transfertur, transfertur illud verbis de præsentì.


IV.  
Contrahere possumus venditionem etiam his verbis: Est mihi res tuavendita? Non.

V.  
Bodinus Lib. de Republ. cap. ult. p. 267. Leges Naufragorum bona Fisco vindicantes non defendit.

X2615907

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1669, 11

INDULTU  
TIONEM  
A DOMINII

MINIS,  
A. 1669.

ES  
S SCHILTERUS,  
L. CAND.

DENS  
Cygn. Misnicus.  
sus.  
Q. C.

Æ,  
RICI HAHNII.

VED  
RS.  
LLE

*Handwritten signature*

1669

